

23  
SERENISSIMO DOMINO

3

F. D. FRANCISCO XIMENEZ  
DE TEXADA

Sacri Ordinis Hierosolymitani Magno Magistro, Insularum  
Melitæ, & Gaudisii Principi.

SERENISSIME PRINCEPS

**E** A est sincera Virtus, quæ proprio nitens fulgore, alienâ obfuscatâ laude; Hoc me silentem in tua Præconia reddit, qui precor Orationem meam in gratitudinis, & venerationis vectigal accipere, meque habere futurum ad cineres.

Subjectissimum, & Fidelissimum Servum  
Georgium Locano.

DE

## DE IMPERIO MUSCULORUM

IN ÆCONOMIA ANIMALI.

## ORATIO.



Rationem Anatomicam coràm vobis N. N., præter Patrum consuetudinem, sed quolibet anno, cæterarum Accademiarum exemplo, habiturum, absolutis elapsò Juniò Myologicis Demonstrationibus, tum utilitas, tum veritas, tum gravissimi muneris pondus, tum deniquè ingens rerum Anatomicarum Amor, admonuit, nullum aliud seligendum esse argumentum, quàm ut prò viribus demonstraretur, sanitatis latitudinem sitam esse in incolumi Humani Corporis Musculorum energia, concursu, & harmonia.

Grave admodùm vobis futurum esse prævideo, & mihi hodiè supervacaneum tot Musculorum commemorare Limites, Figuras, Nexus, Coactionem, Compagem, Virtutemque Antagonisticam, undè collatis undiquè membris, jure circumscribuntur suò limites Sanitatis, & fundamenta.

Antè Spectatissimum Medicorum Coetum iterùm aggredi cavendum erat, quæ in hisce rimandis proposita jamdiù fuere in Priscorū Theatris, vel quæ in Sæculo XVIII. a magnis Viris emendata, ad incrementa Anatomica natis.

Abfit prætereà, ut hodiernâ plectar locutione, genuinam tradere actionis Muscularis causam, multiplici post BORELLUM, & BERNOVILLIUM penicillo depictam, sed eà colorum varietate, quæ Naturæ vix arridet, Phylosophiæ repugnat, experimentis distat multiplicibus; maximè cum Fluidi, quâ optatur luce, non constet hætenùs indoles, quò irrorantur nervi, quive si ligati, pressi, obstructi, resecti motum Muscularem impediunt, retardant, supprimunt, funestamque in partibus inducunt quietem. Captò ex Clarissimorum Auscultantium eruditione consiliò, placuit in dissepimenta filere Musculorum ex tela cellulosa; Variant quippè compactioris ratione glutinis, & pressionibus affinibus, queis contractionum exurgit commodum, extensionum adjuvamentum, angulorum inflexio, trochlearum obsequium, curvarum relaxatio, resistentiarum remissio, hyppomochliorum docilitas, ponderum elevatio.

Abfit inquam de hisce, aliisque affinis quidquam proferre, licet ex strictiori, laxiorique hoc vestimento fibræ obducuntur Carneæ, vicinis nectuntur partibus, faciem acquirunt similem, continuæ fiant in *Aponevroticas* fascias, & *tendineas* cordas; quin imò eodē multiplices arteriarum, atque venarum decorantur incessus, divaricationes, anastomoses, convergentiæque multiformes, rariores jugiter accedentes ex nervis, & lymphaticis in argenteo insensibili tendine, quam in roseo irritabili ventre.

Devitavi tandem, quod in disputationem traheret, Sententiarum varietates recensere circa vires musculorum absolutas, quæ licet in hujus calliditate Sæculi innumeris imposuerit hominibus, nervis tamen destitutum Corpus redderet Orationem, confusâ protinus, factâ rei majestate, cum infidis Mathematicorum calculis.

Nihil agebat Sententia discors, aut postremum HAMBERGERI judicium, cerussatis aspersum coloribus, quod nempè sint in ratione, composita ex directa ponderum, & reciproca longitudinum, nullo quod constat modo in *Penniformibus* Musculis, & *Circumflexis*, nec non in *Palmari*, atque *Plantari*, & *Supraspinato*.

Prædicta, & infinita alia facile hinc, & illuc mechanicis volvenda, filere constitui, quia vel solâ constant non sat fidâ Autopsiâ, vel perscrutari non licuit, nisi per Mathematicas divinationes, vel saltè per Dioptricas vitrorum exaggerationes, a votis repulsas veri amatorum, meliùs dixissem Anatomicorum.

Quæ itaque potius Magni Conditoris Sapientiam mirisè revelant, fari existimavi, quatenus scilicet ex tot Musculorum, & Carnearum, vestium panniculis sese naturaliter permotis, functionibus suis non defraudatur corpus, nec exceptâ sensationum provinciâ, summâ, quæ concinnata fuit industriâ, quasi novus hâc normâ Miraculorum indicabitur fons, ex quo cæteræ irrorantur partes, agitantur membra, premuntur viscera, articulorum sustinentur Capsæ, colorantur tegumenta, congeruntur adiposi succi, & machinulæ ad fines destinatos parantur, tot vitæ quæ fiunt pignora.

Vivit ergo Homo suis ad motum paratis Musculis, superandis resistentiis accinctis, ut mirè liqueat Musculorum Imperium in salutem; In qua certè sita videtur Artis saluberrimæ gloria, potissimum Accademiæ nostræ votum, de quibus dicturus, attentionem ne denegetis obtestor.

Humanam Machinam turpi concretam luto, Divino Vitæ spiraculo motam, visu pulcherrimam, sed ærumnosam, superos imitatum sed sortis iniquæ ludum, membris colligatam sed fragilibus, Salutaris obstupet Ars; Maximè quia sine constricta fit unô, nè summi nempè Artificis desit simulacrum, carne nobilius, prestantiusque, sed quâ interim utitur, & ut regionibus perficiantur limites, & ut Ventrium limitantur motus, & ut Artus, atquè viscera moveantur per aptatos juncturis Musculos, ità ut sub uno cuncta sociantur Cœlo, subque uno pugnent vexillo, naturâ, nempè individuum servante, & propagante Genus.

Mira herculè res! Est causa sui ipsius semetipsum resuscitans, tandem destruens in *mineralibus* firmillima; In *vegetantibus* patula; In *brutis* constans; in HOMINE manifestissima ex conjunctione Maris, & Fæminæ absoluta, exceptis ADAM, ÆVA, & CHRISTO.

Qui solas texunt fabulas Anatomicas etiam sciunt, universi spatia suis hominem æquare spatiolis, fluidis, solidisque partibus instructum, attractionis imperio, pressionis legibus, gravitatis jussibus respondentibus; Quasque sive Theoria, sive Praxis excogitat, Musculorum dominio, ut lumen oleo, subjectas, fatebitur, utraque quum sit conscia, eo cruoris, & nervei fluidi circuitum pendere, eodemque certare pignore irritabilitatem, & sensibilitatem; Nullaque alia in mirabili fabrica invenienda est conditio, ut qui Orbi similis est, fit Orbis imperiô potitus; Heu! Cui semel est obeundum!

Omnium partium ruditer distinguenti motus, & sensus, impetus, & evolutiones, excretiones, & retentiones, defœcationes, & miscelas, vapores, & inhalationes, verbô functiones omnes, vitæ seriem conficientes, perspicuum fit, musculos gubernacula esse sanitatis, irrequieta in *vitalibus*, vigilantia in *animalibus*, alternata in *naturalibus* actionibus; Ubiquè attamen moderata, ubiquè concursum, vitæ dirigentia, ubiquè signum dantia ad salutare pugnas, ubiquè noxas depellentia, ubiquè Antidotis prævalentia.

De ipsa veritate, qui parùm sunt solliciti, aliter sentiunt, adeò obvia sunt salutaria Musculorum officia; Nullô obstantibus modô totidem, illorû discriminibus, tam in lineamentis, quàm in magnitudine; tam in insertione, quàm in figura, tam in numero, quàm in crassitie; Qui errores Phylosophiæ timent, unanimi conveniunt sensu, à diverso vitæ gene-

re oriri, à variis Physicæ educationis curis, à multiplicibus compressionis gradibus, à dispari tritûs ratione; Etsi ab ortu easdem non exhibent cadavera carnes, nova semper Anatomicus experitur robora, quæ iudentis naturæ gerunt vices.

Inanis mihi pompa videtur, exempla recensere *Biventris Maxillae, Pterigo-Palatini, Transversalis Uretræ, Prostatici Superioris, Longissimi Dorfi, Sacro Lumbi*, & ut multos fileam, tendinis *Coraco-Brachialis, Brachiali Externo* sæpissimè coherentis.

Et quamvis ex innato ad novitates mortalium impetu, vertente, quò vivimus, sæculò, novis semper Musculis onerata experiatur Anatomes, fidò tamèn duce cultello patet, potissimùm in aure externa, & Pharinge, solutis tantùm Cellularibus vinculis, illos emerfisse, vel saltem, nisi me millies experimentum in *Cephalo-Pharingeo* fefellit, ex confuso cum fibra carnea cellulari textu, redundante cruore.

Nequè alium propter finem positas a Numine in centro Corporis carnes, scalpello detegitur, artubus, alis, pinnis convenientes, undè vis, quæ partes impetit omnes, exurgit, HELMONTIO primùm nota, recentissimè per PARISINOS expolita; Ea est, quæ indulget Embriionis evolutioni, quæ Fœtui præstat incrementa, quæ infantium, adjuvat nutritionem, quæ adolescentium sollicitat pubertatem, quæ adultorum regit salutem, quæ senibus fovet calorem, quæ diuturnam decrepitis parat senectutem; Eandem Medicæ emulando opes, incommoda devitant, votis valendi turgent, crifimorum dierum respectus enumerant, inanibus aut labantis Naturæ conatubus medentur, & postremo quantum fieri potest opponuntur fato; Pixis est Nautica salutis carneum Epigastrum, quam regit Cordis Polus, Pulmonum magnès, Diaphragmatis extensio, Sternocostalium Nexus, Xyphoidis Acus, Intercostalium gradus, Atmospheræ altitudo, quibus profectò longitudo vitæ definitur, & latitudo sanitatis commensuratur.

Tenuibus deficit viribus melior dicendi modus caducæ fortis pendentiam a Musculis, sed ratio arbitra sensus per carnis actionem sat intelligit, rutilantem circumduci sanguinem, favillas extricari electricas, derivari aquas, transmitti succos, evolvi lympham, fœcundari spiritum, moleculas assimilari organicas, ad remotissimas tandèm diffundi plagas, quas vel sola concipit analogia, vel fert probabilitas, vel probat injectio; Et si maturiori perscrutari velimus consilio phænomena salutis signa edentia, Muscularis dignitatis beneficio tri-

buendum id foret, quod post sexcentum formatos ab humoribus circulos, & totidem perfectas in colatoriis defæcationes, stamina deniquè firmantur, firmitudines roborantur, robora oscillant, oscillationes modulantur, singularesque adeò enascuntur consonantiæ, coalescentibus formis distinctæ, primum revelantes ædificium, quasi supremus Creatoris digitus agentibus Musculis incessantè operatur.

O' vis inenarrabilis conspicua in lacertorum turba *Homoplatae* motus perficiente, insigniori *Trapeziis*, & *Rhomboideis* concessio opere! O' vis provida, quæ corporis temperat habenas, manifesta in *vaginula digitorum*, *lumbricalium*, *interosseorumque* regens impetus, atque in *Fascia Lata*, cohortis carneæ *Femoris*, quæ est retinaculum! O' vis tandem quæ dat cuncta moveri, vel animi iustibus subjecta, vel mentis imperio subrepta!

Impensius Animalis Œconomix studentibus liquet, Musculorum dotem esse dextrè, & expeditè exercere corpus, dilatate conceptacula, cysticas exprimere latebras, artuum componere excessus, auxilia esse partium defensiva, vertebralis columnæ nitidissimò exemplò Musculorum.

Verùm nexibus innumeris, & qui è tendinibus nascuntur, & qui à cartillaginibus procedunt, & qui à ligamentis emergunt, mirè constat, talem vim in universo conspersam corpore ad *Epigastrium* referri, quod postquam limites suos per cultellum profert, latissimè dominari, declarat.

Magnum defacto subesse periculum, norunt omnes, si quid prædisposuerit, supprimendo, aut saltem coercendo, quod valeat; Si ad *Systolem* iterato stimulo *Cor* non redeat; Si cruentæ undæ perpetua in descendentibus truncis non fiat successio; Si *Arteriarum Systoles* tempusculo non succedat *Locomotio*; Si sensibilitate careat tunica secretoriorum carnea secretionum anxia, quæ per Musculos obtinentur, reficiuntur, conciliantur, exsolvuntur *Epigastrio* obsequiosos; Cuncta illicò versantur quiete; & paralytico, seu *Sphaceloso* succedente silentio, tacitâ consistit *Machina syncope*, rigiditate, & putredine.

Hæc fatetur herculè ritè, & attentè qui perpendit *Vitalium actionum vires*, tenues evanescentes in umbras, in quiescentibus *Cardiacorum Thalamorum Columnis*, carneo filente in *auriculis* utroque strato, deficiente *Ventriculorum isthmo*, defuncta *externarum fibrarum veste*, resolutis *auricularum pectinibus*.



Eâ res se offerunt facie in Pulmonibus, otiantibus *annulis* utriusque generis *carneis* in Trachea, *Laringeis* abstinentibus labore *Musculis*, resoluta *Serrati Postici* amiculâ, ægrotantibus *Supracostalium*, & *Infracostalium* lacertulis, presso paralyfi *Diaphragmate*, vel eâdem quando pertentatur labe, angustans pectus, utraque *Intercostalium* series, *Serratus Posticus inferior*, *Scalenus*, *Subclavearis*, & *Lumbaris*, unâ cum *accessoriis* utriusque *Pectoralis indigationibus*, amplioribusque *Epigastriorum* fasciis; Quaquaversum intereâ eô adveniente infortunio, delinquentibus *Sistalticis* arteriarum *locomotionibus*, WEITBRECKTIO primùm notis, LAMURIO exin expertis, nobis nupèr per *Canicidia* comprobatis, quotiès maximè suo destituta *tunica carnea* elatere, *soporosis* non negata, circularis tandèm abfuerit figura in conicis paripactò, ac cylindricis sectionibus.

Inutile multa super hac re memorare exempla; Hæc, qui negant, veritati injuriam faciunt; Observare sat erit, hoc modo vitiatam fieri radicitùs arborem, & quæ a motu Sanguinis indefinentèr exercentur functiones, vel adulterio peccant, vel protinùs cessant; Infirmaque videlicèt exoritur, vitiosaque Secretio, & Excretio, actuosusque errabit capillarium suctus, cujus licèt causa sapientum torfit ingenia, res tamen abundat experimentorum suffragio.

Nonnulla præterea, ab hodiernis colligenda Anatomicorum ducibus WINSLOWIO, & ALBINO, quæ si quis perscrutari velit, ac secum ipse cogitare tacitus, facilè adducatur, ut sentiat, quare *Musculorù* alii propriâ agunt efficaciam, alii aliorum societate, alii aliorum oppositione; quare alii perforatores, perforati alii, quare alii ad majorem, alii ad minorem angulum se in os immittant; Quare alii articulos ab angulo in lineam rectam mutant, alii a recta in diagonalem, alii trans *Trochleas*, alii trans *vaginas*, quasi magno in errore versarentur, qui alio expectarent fonte, ut dispersæ colligantur vires, lapsa erigantur robora, depravata corrigantur fluida, infirma corroborentur solida, turbulenti componantur Spiritus, degenerata emendantur Temperamenta.

Hiscè perindè Divinâ manu conspirantibus, ossium *processus*, & *asperitates* auferuntur, indurantur *Epiphyses*, retrahuntur *ligamenta*, expoliuntur *Apophisum* cacumina, excavantur *convalles*, attolluntur *Trochanteres*, dilatantur ex *Diploe cellulæ*, curvantur ossa in partes suas.

Simili decoratis jure Musculis, suadente voluntate expeditissimè absolvuntur rotationes, tentantur supinationes, perficiuntur pronationes; Neque sub alterius potestate partis devovere licet Estatici volatûs, diurnæ natationis, vis athleticæ, herculeæ fortitudinis causas.

Constant similia geometricâ certitudine ex ætatum progressionem, Idiosyncrasiarum mutatione, climatis varietatibus, diverso vivendi modo, evidentissimè capta, quamquam genuinæ motum superstitem causæ, & stimulo renovandorum in plerisque partibus Musculosis solutio omni ex parte nondùm data fuerit.

Concursum attamen his adjectis superno, in eundem tendit carneum Epigastrium finem, motum paripassu excitando in restricto sua thecâ Cerebro, quo reflua jugiter facilitatur per pulsantes *jugulares Cruentæ* undæ cura; Quæve porro quin fugit imperium Musculorum, carnis e contra fasciculis *colli latera*, interiora *humeri*, & superiora *claviculae littora*, contegentibus incitatur, *Sterno Mastoideo* indice, cum *Omoplatoideo*, *longo Cervicis*, postica *Masseteris* parte, *Styloideo*, *Latissimo colli tegmine*, & *Pharingeis* omnibus, ut saccum unice cōstringant, destinatis; Quinimò per *Jugulares* exteriores facilius derivaturo Sanguini, qui faciem vestiunt, concurrunt Musculi, quibus nullo sunt excipiendi pacto a SANTORINI additi, aut mandibulam agitantes inferiorem, *Crotaphite* Principe.

Salutari horumce consilio depurationes fiunt *Buccales*, vapor manat oris, latex sese offert *Stenonianus*, mador exprimitur *Coschwitzianus*; *Myloideum* testor *sublinguali fonti* subsidentem, quem socio urget *Genioglossò*, & *Genihyoideo*; *Tyreopalatinum* testor *muco-sis Vvulae cryptis* adjacentem, quas socio premit *Glossò-palatino*, convenientibus hinc indè, favore relaxatorum Musculorum, ad Corporis promptius nutrimentum *venis bibulis* in *lingua* ferentibus, fluidissimam alimentorum partem inhalantibus, maximè quum aëris ope, diversisque dentium moliminibus massularum vincula dissolvantur.

Quæ porro si taceant, mutuò silente Pharyngeorum lacertorum ordine, vel per tempus supprimantur, fractis viribus buccæ ossa, & palati moventibus, difficilis fit vitæ cursus, adeò a digestionis vigore perennaturus, qui a Sphincteribus variis, & multiplicibus pendet carneis stratis, duplex regentibus *Pylori ligamentum*.

Hæc fecit cauta Creatoris Providentia, *Æsophageo tubo*, ro-  
bu-

bustissimas quæ dedit carnes, fibris comitatas a *Cricoide* advenientibus, cibique descensum successiva præssione adjuvantibus, usquedû per inferiorem *Septi* Musculum Ventriculo coercito, ex solo vitio possunt adscendere; Hæc fecit cauta Creatoris Providentia, ut glândulæ tubo hujusce insedentes, Bronchialibus, Thyroideis, Phrenicisque arteriis irriguæ per *mucosas HALLERI cryptas, & lenticulares DUVERNEY folliculos*, vi carnea, faucium similem expuunt pituitam digestionis amicam.

Possim certè argumentis tam ex ratione, quàm ex subtiliori Anatomie desumptis, multa congerere, undè diù vitam firmo haud stare posset talo, demonstratur, nisi doctis loquerer, quibus nota repetere, supervacaneum foret, eaque jamdiù indicavit HALLERUS nostri Miraculum Sæculi. Ast præcipuis non abstineo, quia intèr præstantiora meliorum Physiologorum desideria, nullum video, Œconomiae Animalis indigitandis aptius misteriis, quam quod versatur in præliorum viribus determinandis pro digestionis opere; Quæve ut magis intelligantur, sedulò prius indiget examine confricatio fibrarum, famis excitatio, reliquiarum acrimonia, aeris rarefactio, sacci expansio, aortæ pressio, finalem salutaris restaurationis causam insimul perficientes.

Haud equidè ibo inficias, filtrationes, macerationes, fermentationes, putrefactiones, dissolutiones, expressiones, erosiones cibis in chimum cõmutandis inservire; Ast non solum a carneo robore hæc procedere fateri est opus, sed rotundus inde factus Ventriculi tumor, iisdem fit pro hyppomochlio; In quæ quum animum adverto, solitam video oppignoratam a Medicis fidem non posse absolvi, nisi præviâ circumstrepentium in stomacho carniùm cognitione.

Virtutem occultam propinquas cælare p̄pulsæ, & diluti Chyli causas, nemo interim dixerit, qui Dyspnoicos hoc tempore considerat insultus, pluribus suadentibus Musculis, vel naturæ imperio subditis, vel mechanico motis principio, vel tonicâ oscillantibus rigescencia; Evidens porrò est, ut alimentorum ruinis dominatrix facta caro, cætera præstet, ut prior natura cura absolvatur; Accedunt quapropter robora carnea in intestinis irritabiliora a WEPFERO experta, a BRUNERO visa, in HALLERIANIS confirmata Theatris, quâ adreptante, in undis *Biliosis*, in sudaminibus *intestinalibus*, in rivulo *pancreatico* ludit cinereus *chimus*, niveus *chilus*, fuscaæ fæces, & ful-

fuliginosi fumi optatam cæteroquàm inspirantes fluxilitatem a *Mesenterio* adjutam, & opportunam amaritiem transeunti per *Portam* piceo sanguini, a fibris carneis assiduò agitaturam, in arteriosæ venæ *glissoniano* vestimento infitis.

Neque liquamina, & humores, gluten, & sales, queis saturatur sanguis ab una clandestinè cessant forma, aut aliâ vestiuntur, nisi vi *Musculari*, quâ delectatur *Anatomicus*, ubi sphincteres rimatur, ubi *lumbares* *Musculos* contemplatur, ubi robur carneum *abdominalium arteriarum* observat, ubi præstantissimam irritabilitatem in *lymphaticis* ab insita carne cum *Gættingensibus* experitur, quam nemo negare potest in *ureteribus*, *tubis falloppianis*, *pecquetiana cysterina*, & *ductu thoracico*.

Quid plura his! Quò pacificò fruitur pelagò cruoris circuitus in *tripodis coeliacæ* appendicibus, eò carnei *uteri* insula, æstuantis cupidinis sede polluta, tumentia reddit periodica flumina, totius æconomix regimina, phlogisticum virginibus conciliantia ardorem, gravidis foetus papulum, puerperis lochiorum sobolem, altricibus lactis germina, quæ parant, despumant, attenuant, disponunt *abdominales*, & *pectorales* *Musculi*, *hyppogastricis*, & *mammariis* imperantes arteriis, eòque tamen concussis sine, ut coadjuvantibus *haemoirroidalibus*, aliisque ex *iliacis* anastomosi variâ unitis, consueto destitutis fulcro, resorptis depurationibus nutriatur foetus; Quâdere expurgato *utero* servatur foemina, parato semine genus propagetur.

Tantum est quod possunt *Musculi*, irrequietâ salutis curâ solliciti! Verum cogitur paritè *Physiologus* novam distinguere plagam, in qua latitudo extenditur sanitatis, potentissimam indicans manum in septis, & fasciculis, in fulcris, & sphincteribus, in faccis, & capsulis, in sinibus, & meandris multiplicibus, ubi semen paratur, retinetur, sebo, aquæque miscetur, erectâque hastâ ejicitur, tam quando vigil venerem exercet homo, aut per insomnia ludit; Famulantibus maximopere *acceleratoribus*, *prostatae compressoribus*, & *erectoribus*, refluentem impredientibus sanguinem in *solitariam venam bradispermatisimo* denegantibus locum; His quippè concussis *Musculis*, amoris oriuntur tempestates, nervorum languore definentes, interruptam reddentes plastici efformationem ignis, nova urgentis incitamenta, propagationis præcepto respondentia.

Jam

Jàm verò de his omnibus actum, quando sensus abest, partibus communis cunctis, cuique specialis, a Musculorum viribus per nervos audiendus, quos inflat cruoris electricitas per *inflexam carotidem*, & *angulosam vertebralem* transmissa, a plurimorum recta pressione Musculorum, quorum, inquam nervorum, tenet imperium curvilineum planum *Diaphragmatis*; quibus præest artuum inflexio; Quorum *gangliis cervicalibus* dant jura *uterque colli rectus cum transversariis, & accessoriis*, eòdem consiliò, quò *ophthalmicis gangliis obliqui, & recti*; *Abdominalibus* verò ejusdem cognominis Musculi; Et quoniam nil non audent suis gyris & plexibus nerveis interspinalia glomeramina; Musculum *spinæ multifidum interspinales, & intertransversarios cum scalenis*; *Quadrato lumborum, psoas, splenio, & longo colli* pro freno dedit carenæ natura, duce *longissimo dorsi, & caudis tredecim*, in quas definit *sacrolumbalis*; Quivè nervi per universum dispersi Corpus, sympatica cum *oçtavo pari* monstrantes vincula, sensationum, & functionum non fiunt fundamenta, nisi elevatis papillis, constrictis Musculis, retractis trochleis, humilibus factis processibus, ragosis membranulis, concussis villis, ut spiritus accedant, varias euntes, redeuntesque vias.

Prono similia fluunt alveo, utque in hoc negotio prolixior sim, prohibet ipsa rei evidentia, miris constans in actionibus *cervicalis descendentis, complexi, biventris cervicis, rectorum capitis posticorum, obliquorum ejusdem, & coccigeorum*, eò indigitatis ab ALBINO modo, ut ejusdem memoria post funera vivit.

Eàdem Musculorum energiâ pars vertitur cruoris in ignem, scintillisque vicissim turget cruor, magneticam corpori præstantibus vim, mutuò ferri amore fulgentem, solidis, fluidisque ramentis inhærentis, aëre respondente elastico, quem non absorbet Thorax, non inhalat cutis, non devorat os, nisi carnis agentibus fibris, Opificis sapientiam indicantibus. Duce Physiologiâ, & testante Papinianâ Machina, proptèr hæc mixta nexu fruuntur, innumerabilium custode modorum, & hoc, nisi fit, extemplò in pulverem reducitur Homo.

Sivè motus Muscularis subjectas premit undas, variis fluctuantes normis, sivè partes unit vegetas, ut solida ordine stant certò, sivè favillarum quaspiam dissipat, nè excitantur incendia, sivè aquarum guttas elicit, ut vehiculum obtineatur, ubique motrix caro par-

tium perficit structuram, signat integritatem, ubique firmat amicitiae pondus, & concordiae vinculum, ingenio sat dignissimum Omnipotentis, prosperam statuentis in Musculis *Æconomiam*.

Nil obstat, cruore, & electro indigere Musculos, qui cruori, & electro perficiendis inserviunt; Fit porro in dominatu servitus, & servitus in dominatu; Hæc cor circulationis impatiens hortatur; Hæc glandulæ secretionum anxie suadent; Hæc conceptacula asservationum sollicita revelant; Hæc vasorum flexuræ progressuri laticis lymphatici curâ pressæ manifestant; Hæc tandem succorum *anarropicæ*, & *catarropicæ* determinationes, & discriminationes equilibraminis desiderio irrequietæ declarant, in quibus omnibus, natura oraculi ad instar monstrante viam, motus Musculares sunt principia, vel causæ, vel subsidia.

Nil dicam de pinguedinis solutione, ejusque reditu in sanguinem, commendabilem perficiente mediocritatem; Nil de natura expansibili, atque flexibili, quam servant solida, alternâ quiete, & exercitatione. Nil dicam de inflammationis imagine, quam producit cruor in Musculo ante contractionem, quâ deindè prælo sanguinem dimittens, cogit in venam liberam triplo majorem, ut resolvatur. Quo porro adjuvamento globuli a contactibus recedunt mutuis, speciales ab organis acquirunt characteres, corpusque ita dimovent a lætho, cujus urget necessitas irrevocabili fato.

Legibus universi alternâ quiete comparantur Musculi in vigilia excitatores, in somno otiosi, quorum nervis Creator duplicem dedit originem, ut ingens vitetur periculum in unius corruptione.

Perpetis, florentisque salutis nedùm sunt fontes Musculares organi, sed semina pariter remediorum, quibus utitur natura ad corrigenda vitia, ad debellandos morbos, quos etiam pariunt latitantia intus corpora, inflammationum, & suppurationum pendentia phænomena, ut quod tamèn malum censetur, medicamen est.

Organa omnia, & Membrana, Parenchymata, & Glomeramina, atque inter compactiores partes durissima ossa, nimis grande continuitatis pretium putantia, aversa sese ostendunt a consilio doloris, & solutionis, proximasque perindè excitant carnes, vel remotas simpaticis movent precibus, ne separentur membra periculô circumdata, vel ludibrio futura.

Specimen formidinis præ se ferunt hujusmodi Musculorum agita-

tiones, nec non vitæ luctuosæ, salutis tristes primò censentur aspectu; Ast nemo non videt, successivâ quiete, & alternata pace tantum virium restitui pro valetudine, quantum per motus ablatum fuerit; Nisi quoque addere velimus, antagonistarum relaxatione præclaro *sternocleido-Mastoidei* exemplo, & *vesicae detrusoris*, alias pressione, & tē- sione liberari partes, atque spiracula, quæ obsequibilia, & inviolatæ capacitatis desiderantur a natura.

Musculorum labor est ametriam remove, quâ partium loci posituræ, quantitates, mensuræ mutantur ab eo consilio, quod fit tumultuantibus morbis, pugnante natura, erroneâ turbante voluntate; Musculorum labor est sanguifluxus quiscumque ab altioribus viribus cordis natus, queis resistantiæ non respondent; Musculorum labor est doloris sensus in amputatis membris, oscillantibus tunicis arteriarum carneis, nervo adhærentibus post ligaturam; Musculorum labor est materiei mutatio morbificæ, ingeminatis pressionibus orta, quæ correctâ tandem per cribriformem corporis habitum extruditur, postquam carnea continuati cordis tunica intermittentibus fistolibus, fidissima præbet proximæ *criseos* signa.

Regressus sunt adedque Musculi ad vitam, etiâ dùm convelluntur singultu indice, tussis exemplo, sternutatione comprobante; Regressus sunt Musculi ad vitam, suadentibus vomitu, pandiculatione, aliisque permanentibus, sive fugacibus signis; Regressus sunt Musculi ad vitam conaminibus probantibus irregularibus, suspiriosis, molestis, præcipitibus, interruptis a natura suscitatis in diuturna lucta, impeditis interim liberis motibus, aut suppressis, minimisque factis, loquela teste, & cantu.

Regressus sunt postremò Musculi ad vitam, vigilia testante, & metu, atque fastidio ciborum, quæ irrequietam ostendunt in periculis naturam, quando vitalium aded intenditur Musculorum exercitium, summo virium dispendio executurum, ut phlegmasiarum exantematicarum maligna subigatur sævities; Sic in acerbo LUDOVICI XV. Regis Galliæ fato, Europæ amaro, Galliæ tristissimo, Orbi luctuoso, Hierosolymitano Ordini lacrimoso, litteris, atque scientiis ineluctabili.

Salutaria harumce carniū enunciant benefacta, etiâ in morbofo statu, motus quamplurimi, qui nobis insciis noctu, diūque pe-

raguntur voluntate nequaquam advertente, distinguendi protinus ab illis qui aut pro lubitu suspenduntur, accelerantur, & retardantur, aut saluberrimo artificio restituantur, adhortantur, accenduntur, variolâ indice insitâ, cui præter cætera tutissimum debet Gallia PATREM, Europa tranquillitatem, Orbis tutelam, Hierosolymitanus Ordo defensionem; O utinam Litteræ, atque Scientiæ Protectorem!

Suspensis non est ergo utendum verbis in opibus, muneribusque Musculorum extollendis ad salutis custodiam; sat probant *Intertransversarij*, *Interspinosi*que Musculi, cæterique motibus imperantes vertebrarum, cum subjectâ anteriùs aortâ, interiùs medullâ, spinalium nervorum definientes iter; Eo quidem pacto, quo *Coraco-Brachialis* perforantem regit *nervum Musculo-Cutaneum*, quo *Diaphragma* ducit penetrantes magnos sympaticos, quo *piriformis* fræna tenet *magni Ischiatici*, a quo non rarò in duas fissus partes evadit.

Hoc quidem cum pluribus aliis Musculis memorati commune habent, quod nonnulli fluidum nerveum, alii verò cruorem placidè ducunt, & diversos tam in statu naturali, quam in morbofo motionis gradus definiunt, quamdam quasi conjurationem indicantes, ut omnia non effræno furore, sed pacatim, & ad equilibraminis finem accommodatiora peraguntur.

Post fractam verò equilibritatem, post natum succis impedimentum ad calles, & itinera subeunda, post viduatum aquâ sanguinem, post errore loci citatos globulos rubros, post luxuriantes serositates, post debilitatas firmitudines, post nidulantia venena, Musculi maxime, vitalibus inservientes organis, e quibus cæteræ carnes vim capiunt, & consilium, exemplaria fiunt, medentium erudientia mentes, ne nimio remediorum apparatu hominum negotiantur animas.

Æquam manifestant Musculorum humanitatem varij ægrotantium situs, & posituræ variæ, partim a naturæ, partim arte excogitatæ; Supinum testor situm in *herniis*; Elevatos lumbos cum scroto in *cystocele*; Diuturnum decubitus in *uteri procidentia*; Elevatum caput in *pleuritide* ingravescente; Flexa crura in *enteritide*; Protusum collum in *cynanche*; Erectum corpus in *spasmodicis*; Horizontalem posituram in *syncope*; Membrorum flexionem in *fracturis*, *luxationibus*, *transversisque tendinum vulneribus*, memorabili in *achillis tendine* *Petitiano exemplo*, crudelissimam rejiciente veterum *suturam*.

Hoc

Hoc inter cætera consilio, nullòque meliori, duci debent clinici, Musculorum dirigendo motus, sivè naturam partim imitando, partim adjuvando, aut vitia partim corrigendo, partim evacuando; Ad tremulam oculos convertite post febrile frigus totius corporis concussionem, ut insincera liquamina suis restituantur tubulis, & circulationis robore, statui comparentur naturali; Virium profectò hâc normâ succedunt concentrationes, usquedùm id quod è foco excussum est, calore crematum, diversis periodis excandescens dissiparetur, aut in sudores abiret per SOLANIANOS PULSUS vaticinandos.

Cui malo aptiùs, præstantiusque invenire licet alternatâ Musculorum actione remedium? Motus Musculares naturæ servationem optantis sunt totidèm interpretamenta, quibus data est potestas, ut vasorum vis fistaltica virtute restauretur pressoriâ; quibus data est potestas, ut venosi redivis sanguinis, adjuvantibus valvulis facilitetur; Quibus data est potestas nisus perennes, & tonica emissariorum molimina sustinere propellendis, cogendis, amoliendis inutilibus, aut nocituris; Quibus data est potestas saluberrimum cruoris grumum efficere pro occludenda arteria; Quibus denique data est potestas, mortem brevi tempore eluctandi, indice cordis motu, & tubæ intestinalis superstite, INFORTUNII VESSALIANI causâ.

Isdem itaque plurimum confidendum, quia fluidorum lasciviis, & solidorum impetui frænum imponunt; quia leges, juxta quas corpori vivendum recte est, servant; Quia Musculorum officium est, motori impetum addere, mobilium molem sustinere, obstacula remove, velocitates dirigere; Musculis verbò pertinet præfinire fluidorum obsequia, solidorum robora, utriusque consonantias.

Huc ergo omnes reducendæ sunt energiæ, impetus, mensuræ, regulæ, leges, & equilibramina, undè emanant motus, & quies; Periodi, & tempora; Crises, & conamina; Proportiones, & mechanismi, quasi dubius hæret SANATRICIS NATURÆ minister, an vitæ terminus a CREATORE indictus a Musculorum juribus commensurandus? Creatoris fini accommodata sunt hæc jura, quæ studenda, observanda, alenda, refocillanda, erigenda, promovenda, adjuvanda, moderanda, quæve INTEGRUM SANITATIS efficiunt CONSPECTUM.